G1485/P

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE INFLAMMATIONE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET RRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS FRENCH,

~~Britannus~~ Ex Insula Sancti Christophori

Ad Id. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIV.

316859

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

EDVARDO FRENCH,
ARMIGERO,
Patrum optimo,
Cui, ob amica plus, quam
Paterna officia, debet:

Item,
ALEXANDRO FRENCH,
ARMIGERO,
Ob maxima et plurima amicitiae
Munera, quae cum ſibi, tum
Toti ſuae familiae, oſtendit,
Viro omnibus probitatis artibus
ornatiſſimo,
Sibi nullo die non colendo et honorando:

Denique,
ROBERTO WALKER,
Chirurgo Edinenſi,
Sibi Chirurgiae et Pharmaceutices
Artium praeceptori,
Amico firmo, et conſtanti,
Bonitate et probitate
Inſigni:

Hoc primum ſuorum ſtudiorum
Exemplum
Sacrum voluit

A U C T O R.

To

Alexander Gordon Wemys Esqre
from his obed.^t humb.^le Servt
James French

DISSERTATIO MEDICA

DE

INFLAMMATIONE.

ARGUMENTUM, quod lauream medicam in hac academia petenti, eoque ex legibus ejus ſcribere aliquid neceſſe habenti, tractare mihi placuit, inflammatio eſt. Quae, cum ordinem morborum ſummi in re medica momenti comprehendat, iique ita inter ſe communi natura copulentur, ut, paucis ſedis, quaeque hanc ſequuntur, diſcriminibus exceptis, eadem cauſa, hujus origo et curatio fere omnium ſint, et quicquid de quovis uno dicas, id de reliquis ſimiliter dici poſſit; ideo, poſt definitionem et hiſtoriam, varios caſus complexam, primum, communem inflammationis doctrinam ſeu cauſam proximam exponere; huic ſedis et naturae loci proprietates breviter ſubjicere; tum cauſas remotas addere; poſtea prognoſin, poſtremo curationem, communia ſimul et propria, in utraque ſpectans, percurrere; atque ſic totum, quod et facile, ut ſpero, et utiliter fieri poteſt, et quam naturalis hic ordo ſit oſtendit, pro uno genere, in quibuſdam rebus tantum paululum variante, tractare decrevi.

CAP.

CAP. I.

DEFINITIO.

Poſt horrorem, pulſus crebri fiunt, increſcit calor, aliquantum imminuitur robur; pars externa rubet, calet, et cum dolore diſtenditur; interna dolet, ſimul hujus actio laeditur, et ſanguis detractus, poſtquam concrevit, cruſtam coreaceam praefert *.

HISTORIA ET DISCRIMINA

Inflammationis notae ſic expoſitae, pro ſedis et propriarum huic nonnullarum rerum varietate, et loci natura, variant.

PHLEGMONES.

Sede variantes phlegmaſiae ſunt primum phlegmone et eryſipelas †. Qui caſus, licet uterque ſummi corporis ſint, et hujus quamvis partem occupent, altitudine ſedis ita differunt, ut illa magis, hoc minus, recondatur, illius reticulum mucoſum, hujus infra cutem ſedes tela celluloſa ſit. Ad quam ſpeciem ſic variantem eryſipelas, aliquando pro exanthemate habitum, revocandum

* Vid. Cull. G. M. Definit. Phlegmaſiarum, p. 260.

† Ibid. G. 7. ſp. 1. et 2. et G. 24.

dum eſt. Hinc diverſa quoque ſigna naſcuntur: Phlegmones ſunt, 'Rubor vividus, tumor circumſcriptus, in faſtigium plerumque aſſurgens, et in apoſtema, cum dolore pulſatili, deſinens:' Rurſus eryſipelatis propriae notae ſunt: 'Color rubicundus, ambitus inaequalis, ſerpens, tumor vix conſpicuus, et, dolore urente, in cuticulae ſquammulas, phlyctaenas, aut veſiculas abſcedens *.' Color eryſipelatoſus longe plerumque rubicundus, non in omnibus caſibus aut perpetuo eſt; ſiquidem in pernione † coeruleo liveſcens, interdum nigreſcens eſt. Quodque ad tumorem attinet, is in phlegmone fere ſemper fixus eſt, certe novies, ubi ſemel non eſt; in eryſipelate ſemper ſerpit, ſed non ita, ut, externa relicta, internam partem petat: Nam ſolus caſus, ubi hoc fieri videatur, nempe phrenitica, toties eryſipelas capitis ſequens, affectio a communi utriuſque cauſa eſt, non eryſipelatis tranſlatio. Denique, magnum morborum diſcrimen dat tumor phlegmonicus in faſtigium aſſurgens, eryſipelatoſus vix conſpicuus; ille ſaepe, hic nunquam, in ſuppurationem tranſiens, ſed ita, ut ſupra dictum eſt, deſinens. Poſtremo, prioris ſpeciei ſaepe pulſatilis, poſterioris ſemper urens, dolor. Hi caſus, quorum notae et diſtinctiones ſic modo relatae ſunt, in unum ſaepe coeuntes, eundem locum tenent, ut ſuperne eryſipelatis facies, in veſiculas deſinens, cernatur, inferne tumor phlegmonicus, in ſuppurationem tranſiens, percipiatur ‡. Quae conjunctio eryſipelas phlegmonodes

* Cull. loc. rel. † Ibid. ſp. 2. variat. 2. ‡ Ibid. Prael. de uſu.

des nominatur. Et, ut utervis poteſt, ita, uter alteri praecedat, judicatu ſaepe difficile eſt *.

Phlegmone in ſuppurationem ſaepius terminatur, ſaepe lente reſolvitur. Eryſipelatis, praeter eum in definitione memoratus eſt, vicinior ad gangraenam exitus eſt; et vultum occupans, quia cum diatheſi phlogiſtica exquiſitiore, et caput magis affectante, connectitur, phrenitidem ſociam adſciſcit.

OPHTHALMIÆ.

Iidem, de quibus dictum eſt, caſus, licet cum ophthalmia hoc conveniant, quod externae partis ſunt; tamen hoc differunt, quod illa oculorum alterutro aut utroque contenta eſt, ii quamvis partem externam obtinent. Unde etiam diverſae notae profluunt. Ophthalmia definitur, 'Oculi, plerumque humeſcentis aut lacrymas profundentis, rubor et dolor, et lucis impatientia.' Harum notarum perpetuae ſunt dolor et lucis impatientia. Rubor et humiditas plerumque incidunt; ſed ita, ut ille in altiore inflammatione vix conſpicuus ſit, haec in uno caſu, nempe ophthalmia ſicca, deſit †. Rarior in hoc genere pyrexia eſt. Rarius in pus deſinit, quod utique aliquando fit §. Hoc morbi genus in duas ſpecies recedit, tunicarum et limbi palpebrarum ophthalmiam. Prior in adnata aut reliquis oculi, huic ſubjectis, tunicis; poſterior in limbo palpebrarum aut cantho majore, ſedent

* Ibid. Prael. de uſu. † Sauv. ſp. 5. § Ibid. ſp. 6.

ſedent *. Quae ut diſcretae ſunt, ita, cum adnata eadem membrana ſit quae interiorem palpebrae faciem obducit, per hanc altera in alteram tranſibit. Ophthalmiae tunicarum caſus, qui pro diverſis ſpeciebus habiti ſunt †, vehementia tantum differunt, et unam tantummodo varietatem conſtituunt, niſi quod haec vehementiae differentia duos caſus, in curatione quodam tenus conſiderandos, dat, nempe humidum et choroideae §: Quorum hic, in inferiores tunicas deſcendens et retinam accedens, unde nonnunquam etiam ſuboriri videtur, febrem ſuſcitat; ille, minus alte ſedens, febris expers manet. Caſu tantum fiunt cruſtae, palpebras, genas, aut frontem, acri humore manu ad eas partes admota, affectantes, aut ſummum oculum puſtulae, et tunicam adnatam corneamve phlyctaenae, ſero tenuiore effuſo ulcuſcula daturae, obſidentes.

Ophthalmia limbi palpebrarum ſedem diverſae ſtructurae occupat; ubi glandulae Mybomeanae humorem ſebaceum, palpebras conglutinantem, et quandoque exulcerantem, effundunt. Atque hic, quia oculi orbis parum, et palpebrarum margines praecipue, afficiuntur, humor, qui ad tunicam adnatam abluendam, hac affecta, effunditur, eo magis deeſt, quo magis in palpebris, et minus in adnata, ſedet inflammatio. Huic caſui hoc quoque proprium eſt, quod variarum acredinum receptaculum eſt: Quod ubi fit, is minus noſtri argumenti eſt.

Item

* Cull. Gen. Morb. G. 8. ſp. 1. et 2. † Sauv. G. ophth. ſp. 1. 8. 12. 13. et Cull. loc. rel. § Sic Sauvageſio dictam.

Item alia proprietas ejuſdem eſt, quod corpuſcula aliena oculo recepta, in externum angulum rejecta, glandulam lacrymalem inflammant, tumefaciunt, aut occludunt. Saepe origo ophthalmiae, in palpebrarum limbo ſedentis, acredo; in cantho majori ſitae, ſtimulus mechanicus, ſunt. Quod quo magis fit, eo hujuſmodi caſus minus ad puriorem et ſimpliciorem, de qua potiſſimum hic agitur, inflammationem attinent. Sed, quia res aliquantum anceps eſt, ideo eos non auſus ſum ex magno noſtro genere rejicere. Sed rejicio certe quotquot caſus longi, eo vitae tempore, quo habitus ab inflammatione alienus magis eſt, ſcilicet, poſt annum aetatis xxxv. incidunt. Ophthalmia gravior aut diuturnior in corneae maculas, humorum denſitatem, aut caecitatem, deſinit.

RHEUMATISMI.

Hae ſummi corporis inflammationes ſunt, quas proximum, ſi ſedis ratio habetur, rheumatiſmus locum vindicare ſibi videtur. Ejus ſedes muſculi ſubter cutem qualibet corporis parte, ſed horum tendines praecipue articulique, ſunt: Notae: 'Circa articulos dolor, muſculorum ductus ſequens, articulos majores, potius quam minores, ut genua potius quam talos, humeros et cubita quam carpos digitoſve, infeſtans *.'

Hic morbus ab externa cauſa, et praecipue frigore, manifeſto ſuboritur. Quo vigente, quolibet tempore repetere,

* Quantum pateat hic morbus, vide Cull. Gen. Morb. G, 22.

petere, ſed prae caeteris verno, autumnali, et in regionibus frigidis, ſolet *. Idem, licet quavis aetate incidere poſſit, ſaepiſſime tamen diu ante trigeſimum annum incidit †, et prae caeteris temperamenta ſanguinea vexat. Quam ſymptomata, modo expoſita, a prius memoratis diſcrepent, haud opus explicato eſt. Rheumatiſmus in eum qui longus dicitur et membranorum debilitatem tranſit.

CYNANCHES.

Contexta ſuperioris corporis partis phlegmaſiarum hiſtoria, ad eas, quarum ſedes, licet interiores ſint, tamen aëri externo patent, deinceps tranſire, boni ordinis eſſe videtur, et ex iis a cynanche incipere. Ea ſic definitur: "Pyrexia, rubor et dolor faucium, devorandi et ſpirandi difficultas, cum faucium anguſtiae ſenſu ‡." Hoc genus, quantum ad noſtrum propoſitum attinet, in quatuor ſpecies, trachealem, ſtridulam, pharyngeam, et parotidaeam diſcedit; nam gangraenoſam, quae minus inflammatoriae, et magis putridae naturae eſt, ut ab argumento noſtro alienam, rejicio. Cynanche tonſillaris definitur "Cynanche," qualem in genere retuli, "membranam faucium mucoſam, et praecipue tonſillas, tumore et rubore, accedente febre ſynocha, adficiens." Trachealis ſpeciei definitio eſt, "Cynanche, in qua

* Cleg. ſemel rheumatiſmum memorat, et Hillar. rarum in Barbadoe eſſe adfirmat. † Vid. Chyene. ‡ Cull. loc. rel. G. 10.

qua ſpiritus difficilis eſt, hic voce ſtrepente, rauca, trahitur, cum clangore quaſi tuſſitur, nullus fere faucium tumor cernitur, difficile devoratur, et febris ſynocha eſt."

Pharyngeae notae ſunt, " Cynanche, ubi imae fauces potiſſimum rubent, devorandi negotium difficillimum et dolentiſſimum eſt, trahitur ſatis commode ſpiritus, et febris ſynocha eſt." Noviſſima ſpecies eſt " Cynanche, magno parotidum et maxillarum glandularum tumore externo, parum laeſo ſpirandi et devorandi officio, et febre ſynocha plerumque leni," conſtans. In his omnibus ſpeciebus, quam ſymptomatum differentiam partis laborantis diverſitas det, facile viſu eſt. Omnibus febris ſynocha, omnibus faucium cum dolore rubor, et anguſtiae faucium ſenſus, communia ſunt. In tracheali ſola ſpiritus afficitur, quia in hujus organo ſedet morbus, in reliquis ille liberior eſt, quia ab hoc morbus abeſt. Rurſus in tracheali et parotidaea devorandi actio immunis eſt, quia ab hujus organa utraque ſpecies diſſidet, neque ſpiritui parotidaea obeſt, utpote ab ejus organo remota. In tracheali et pharyngea non cernitur eo tumor, quod aſpera arteria in illa, in hac pharynx, eum abſcondunt. Non ſpeciebus annumeravi cynanchen gangraenoſam, quia febris ea eſt, ut pulſus citi et perexigui ſint, ſymptomata nervoſa ſunt, item exanthemata et ſaepe petechiae exoriuntur. Quae quidem putredinem, non inflammationem ſubeſſe, declarant. Quod, ſi tumor et rubor, forſitan doloris etiam non expers, inflammationis aliquid ſubeſſe ſignificant; tamen

tamen, cum ab inflammationis cauſa propria non pendeat, ſed diverſo morbo, ut ſymptoma tribuendus ſit, ideo a noſtro argumento alienus eſt. Unde etiam ſimili ratione rejiciendae ſunt quotquot aliae affectiones inflammatoriae, ab aliis morbis, ut ſymptomata, non a propria inflammationis cauſa, ut morbi juſti, profluunt, et ob hanc manifeſtam cauſam; quod, licet hujuſmodi ſymptomata inflammatoria vel maxime eſſe videantur, in tractatione eorum, morbi unde ſunt, multo magis, quam inflammationis natura, reſpiciendi ſunt. Cynanche tonſillaris rariſſime tumoris magnitudine ſuffocat, quia utraque ſimul tonſilla raro in eum modum intumet. Trachealis brevi, occluſo ſpiritus meatu, necat.

PERIPNEUMONIÆ ET PLEUTRITIDIS

Ordo propoſitus poſtulat, ut ad regionis pulmonicae inflammationes tranſeam. E quibus a peripneumonia initium faciam. Peripneumoniae ſigna ſunt, "Pyrexia, hebes pectoris ſub ſterno vel inter ſcapulas dolor, anxietas, ſpirandi difficultas, tuſſis plerumque humida, ſaepe cruenta, pulſus aliquando mollis, vultus tumidus et purpureo colore." Pleuritidem faciunt "Pyrexia, pungens lateris dolor, recumbendi plerumque in latere laborante moleſtia, ſpiritus cum dolore tractus, dolentiſſima, initio ſicca, poſtea humida, ſaepe cruenta tuſſis." Hic quoque diverſitas ſedis diverſitatem effectus dat, ut doloris et ſpirandi ſtatus. Hic in perip-

neumonia neceſſario cum anxietate, quae in pleuritide ſaepe deeſt, connexus, ab ejus cauſa pendet. In pleuritide ſpiritus trahendi dolorem facit illius ad hunc vitandum interpellatio. Porro, quod in definitione non dictum eſt, peripneumonici plerumque facillime in tergo, ſaepe non niſi erecto corpore, jacent; contra, pleuritici in alterutro latere ſemper fere facile, interdum quidem in affecto *, ſed plerumque in libero †, jacent. Item horum tuſſis, quam illorum, multo dolentior eſt. Ejuſdem humiditas ita quoque eſt ac dixi, interdum tantum mucoſa; ſed in peripneumonia, quam in pleuritide, ad mucum cruor ſaepius accedit. Quod ad febris genus attinet, ea in utroque caſu perpetuo ſynocha eſt; ideoque pulſus duros dat, niſi quod in peripneumonia hi aliquando molles reperiuntur. Eſtque hoc alterum ſedis diſcrimen, quod, ut poſtea patebit, obſervare operae pretium eſt. Poſtremum, quod ſedes dat, diſcrimen eſt vultus ita, ut ſupra dictum eſt, in peripneumonia, non in pleuritide, adfectus. Peripneumonia febrem hecticam, in pulmones effuſionem ſuffocantem, aut hydrothoracem, fines habet. Eundem et pleuritidem, pulmonum membrana pleurae coſtali adhaerens, ſequi ſolet.

CANA-

* Morgag. de cauſ. et ſed. morb. et Cleg. de morb. Minorc.

† Cull. loc. rel. G. XII.

CANALIS ALIMENTARII INFLAMMATIONUM

Ab inflammationibus, de quibus dictum eſt, nempe aut externis, aut ad quarum ſedes aëri aditus eſt, ad alias tranſituro, priuſquam clauſa viſcera adficientes attingam, in canali alimentario ſitas percurrere recte videor; eoque magis, quod hic quoque apertus quodammodo locus eſt, et in eum tum aër, ſaltem forma mutatus, tum alia aliena, extrinſecus deſcendere, et, inter alias offenſas, inflammatoria ſymptomata quandoque accendere, reperiuntur.

GASTRITIDIS

Gaſtritidis ſigna ſunt, " Pyrexia typhodes, anxietas, in epigaſtrio ardor et dolor, quibuſlibet rebus ingeſtis increſcens, vomendi cupiditas, et ejus, quod aſſumptum ſit, protinus rejectio, poſtremo ſingultus." Symptomata, hic memorata, ſaepe a rebus ore acceptis oriuntur; ſaepe cum aliis morbis, et praecipue cum contagioſa et putrida febre, complicantur. Verum, ut ſupra de cynanche gangraenoſa dictum eſt, quoties aut ab illis ſine febre gaſtritis oritur, aut cum his quacunque conjungitur, a noſtra re aliena eſt. Eſt quoque, quaecunque ejus origo ſit, aliquando idiopathicus, ſed rarus utique morbus. Hic omnia ſymptomata ejuſmodi ſunt, quae, ſic affecto ventriculo, oriantur neceſſe eſt. Quod ſi pyrexia typhodes dicta eſt, ne igitur, ubi purus eſt,

eſt, non morbum inflammatorium eſſe, hac imagine falſus credas. Eſt inflammatorius, et, ut poſtea videbimus, inflammationis poſtulat remedia. Sed exiguitas et fallax pulſuum debilitas, licet a cauſa vera inflammatoria ſint, originem partis inflammatae naturam habent.

ENTERITIDIS

Enteritidis ſigna ſunt, primum, ut gaſtritidis, 'Pyrexia typhodes, dein pungens, tendens, et circa umbilicum torquens dolor, vomitus, et adſtricta pertinaciter alvus.' Hoc genus, perinde ac gaſtritis, idiopathicum aut febrium ſymptomaticum eſt. Sed ſive cum febre remittente *, ſive cum typho, ſive cum dyſenteria †, ſive cum colica aut ileo, qui idem eſt §, ſive cum quocunque alio morbo eſt, noſtri propoſiti non eſt. Ad nos tantum attinet, cum idiopathicus morbus eſt. Et quando eſt, de eo, ut vere inflammatorio, idem dici poteſt, quod de gaſtritide idiopathica dictum eſt. Gaſtritis et enteritis deſinentes gangraenam minitantur.

PHRENITIDIS.

Abſolutis, quae dicenda videbantur, de inflammationibus circa cutem, de interioribus, ſed ad quarum ſedes utique

* Vid. Vogel. Gen. Morb. G. 57. † Sauv. C. 3. O. 2. G. 15. Vogel. loc. rel. § Sauv. loc. rel. Linn. G. 29.

utique aëri aditus eſt, et in aperto canali alimentario ſitis; nunc ad eas, quae in clauſis viſceribus ſedent, tranſeundi tempus eſt. In quibus percurrendis a capite, ut aiunt, ad calcem ordine ducar; ideoque a phrenitide incipiam.

Phrenitidis notae, quantum eas ullo modo aſſequi certius datur, ſunt, 'Pyrexia acuta, capitis dolor, vultus et oculorum rubor, lucis et ſoni impatientia, pervigilium, delirium furibundum, vel typhomania.' In hoc genere talis eſt partis laborantis naturae affectus, ut omnia prope confundat; nihil ſatis certum, quo vel prudentiſſimus medicus in curatione dirigatur, relinquat; ſagacitatem Sydenhamianam vel Cullenianum ingenium requirat, et in noſologiae vel maxime fixas hactenus leges rebellet *: Brevis eſſe non laboro, ſed volo, ſed cupio. Et, quamvis non laborem, quamvis velim et cupiam; tamen abſcedere ſemel a propoſita brevitate, et hanc fallacem inflammationem, paucis ſaltem, illuſtrare lubet. Supra deſcripta ſymptomata eo certius inflammationem ſubeſſe ſignificabunt, ſi prima in morbo apparent, ſi is per populum, ea conſtantius referens, non graſſatur, ſi aequali tenore ab initio ad finem perſtant, nec cito, niſi in mortem, quam maturat morbi magnitudo, deſinunt. Cui judicio pondus addunt morbo antecedentia †. Haec omnia, ubi concurrunt, ſatis certo phrenitidem declarant. Sed pleraque adeſſe, ea abſente, poſſunt. Conſueta phrenitidis ſedes, ſaltem initio, nam poſtea, perip-

* Vid. Sauv. C. 3. O. 2. G. 11. Linn. 25. Vogel. 45. † Boerh. aph. 772.

peripneumoniae et hepatitidis more, in parenchyma ſerpere cadavera inciſa docent, cerebri membranae * ſunt. Cujus morbi formae ſupra relata indicia ſunt. Hic vero requiritur, ſitne alia morbi forma aliquando diverſis ſignis dignoſcenda † ? De ea nihil certi adhuc deprehenſum eſt, niſi quod cadaverum inciſio, inflammationis in cerebro veſtigia, ubi, vivo homine, nulla, niſi ante mortis articulum, indicia apparuerant, oſtendit. Sed exitialem et fallacem affectum deprehendi poſſe, ſi non curationis, ſaltem diagnoſeos et prognoſeos, et medici ſidei cauſa, ſummopere exoptandum eſt.

Phrenitis aliquando ſolvitur, ſaepiſſime necat; eſtque ubi in hydrocephalum, apoplexiam, paralyſin, epilepſiam, et maniam, aut protinus, aut interpoſito tempore, tranſmutatur. Quos morbos aut ipſa, aut ſeminium ejus, naturali nexu, trahit.

Horum omnium fundamentum, et quaſi prototypus, capitis dolor.

CARDITIDIS.

Carditidis definitio eſt, ‘ Pyrexia, in regione cordis dolor, anxietas, ſpiritus difficilis, tuſſis, pulſus inaequalis, palpitatio, ſyncope §.’ Cor, ut cadaverum inciſiones oſtendunt, ſine ſignis in vita apparentibus, inflammatum eſt, cujus utique inflammationem ea, quae modo retuli, ple-

* Ibid. aph. 776.

† Qualem Sauv. C. 3. O. 3. G. 19. et Linn. G. 22. deſcripſerunt.

§ Cull. Gen. Morb. G. 23.

plerumque indicabunt *. Et praeterea ſitis inextingui-bilis eſt. Sedes carditidis cordis membrana aut pericardium eſt.

PERITONITIDIS

Peritonitis rara, ut ſymptomatica, rarior ut idiopathica, eſt. In aliqua peritonaei parte ſedet. Inde nomen. Sed alia quoque, pro amplae hujus membranae parte laborante, data ſunt. Dignoſcitur " aliis abdominis phlegmaſiarum ſignis abſentibus, et dolente, cum corpus erigitur, abdomine †."

HEPATITIDIS

Hepatitis definitur, " Pyrexia, hypochondrii dextri tenſio et dolor, qui pleuritici inſtar ſaepe pungens, ſaepius hebes, eſt, clavicula quoque et humerus dexter ſummus dolens, jacendi in ſiniſtro latere habitus difficilis, tuſſis ſicca, difficilis ſpiritus, vomitus, et ſingultus ‡." Hujus morbi caſus complures ſunt; quo difficilior definitu eſt. Si omnes notae, modo relatae, concurrunt, hepatitidem ſubeſſe certum eſt. Maxime commune indicium peragunt " Pyrexia, et hypochondrion dextrum tenſum dolenſque." Quod utique dupliciter fallere poteſt. Primum ea jecoris pars, quae ad ſiniſtrum hypochondrion pertinet, inflammata tali indicio deprehendenda non eſt; dein ſtomacho aut co-

lo,

* Vid. Senac Traite de coeur L. 4. chap. 7. et Meckel. Mem. de Berlin,
† Cull. loc. rel. G. 14. ‡ Cul. loc. rel. G. 17.

lo, ubi jecur contingunt, inflammatis, eaedem notae convenientes, in errorem ducere poſſunt.

Neque "dolor ſaepe, pleuritici inſtar, pungens, ſaepius hebes," certum ſignum dat; ſiquidem peritonaei pars, cavo jecori ſuperextenta, coſtis contigua, affecta, dolorem pleuriticum prorſus refert, ſpiritumque difficilem et tuſſim quoque ſuſcitat *. Quae utique diſtinctio, dum inflammatio permanet, nihil, quia eadem curatio eſt; ſed ad eventum, plurimum, refert, cum hepatitis aliquando, non etiam peritonitis, in ſuppurationem tranſeat. Claviculae et ſummi humeri dextri dolor, falſo pro cujuſvis hepatitidis pathognomico habitus, tantum ſuboritur, cum gibba jecoris pars, ſepto tranſverſo contigua affecta, ei accreſcit, et ſic ad continuae illius membranae finem dolorem ſummittit. Quod igitur ſignum hujus tantum caſus indicium eſt, ac ne non quidem anceps; ſiquidem eidem ſepto tranſverſo accreſcens quoque mediaſtinum, in peritonitide eundem affectum creans, poteſt medentem, et pari cum incommodo, ac modo dictum eſt, fallere. Neque 'jacendi in ſiniſtro latere poſitura difficilis' perpetua eſt; ſed tum ſolum incidit, cum jecur peritonaeo dextro adhaeret, et pondus partis magnum eſt: Quod ubi fit, jacente in altero latere homine, vi avulſum jecur moleſtiam jacendi facit. Dyſpnoea, tuſſis ſicca, vomitus, et ſingultus, morbi, ſed non ſeorſim, ſunt indicia, et alia alios caſus diſtinguunt.

Vomitus

* Cull. Prael. de uſu; hinc hepatitis pleuritica et pleuritis hepatica Sauvageſii.

Vomitus bilis, alvus adſtricta et cutis flavedo idiopathici morbi ſigna non ſunt *, ſed in febre remittente jecur, quod in calidis regionibus ſatis conſuetum eſt, afficiente ſolum incidit. Aut affectio convexae jecoris partis, quae veſicae felliferae contigua eſt, poteſt ductus comprimere et icterum creare; qui, utique et raro oritur, et, cum oritur, hepatitidis non ſignum, ſed effectus eſt. Neque earum rerum, quae bilem facere creditae ſunt, irritatio ad hepatitidem creandam valet; quippe quae, ante hujus ſecretionem, ſanguis, non propria materia, ſint, et icterus a bile reſorpta ſola oriatur †. Fierique quidem poteſt, ut jecoris inflammati irritatio et ſecretionem et excretionem bilis augeat, et ſic vomitum bilioſum det: Sed et id fieri pauca teſtimonia ſunt. Porro, ut creditum eſt §, venae portarum obſtructio cauſa hepatitidis eſſe non poteſt, cujus tunicae, cum muſculares non ſint, eum impetum, qui inflammationi neceſſarius eſt, facere non poſſunt. Hujus morbi in phlegmonicum et eryſipelatoſum diſtinctio fuit. Sed, quae de eryſipelate ſupra dicta ſunt, nihil hic eryſipelati ſimile ſubeſſe, facile oſtendunt; utpote cum nihil unquam in interioribus partibus, excepto canali alimentario, ubi incidere eryſipelas poteſt, ſed non bene notum eſt, reti mucoſo ſimile ſit repertum. Altera quoque in membranaceam et parenchymatoſam hepatitidis diſtinctio fuit; ſed parenchymatoſae in-

 flammationes,

* Vogel. G. 58. Boerh. aph. 923. Alvus fluit bilioſis, &c. Vid. Van Swiet. de eadem re. † Van Swiet. loc. cit. § Boerh. aph. 915.

ſlammationes, ſcilicet, quae ab initio in parenchymate ſitae ſint, externis ſignis ſeſe prodentia, ut ſupra in phrenitide relatum eſt, vix ullae eſſe videntur. Membranaceae, quae juxta habent parenchyma, ad hoc magis aut minus a membrana, procedente morbo, paulatim ſerpunt, idque in pulmonibus, et forſitan cerebro, et praecipue in jecore, fit: Sed harum, ab origine et praecipua, ſedes membranae ſunt. Atque ubi in jecoris parenchymate inſlammationis veſtigia, nempe abſceſſus et pus collectum, apparuerunt, ibi in vita inſlammationis ſigna nulla nonageſies et novies e centenis caſibus praeceſſerant. Vitiumque longum fuerat, ubi congeſtus aut effuſus humor irritando, tandem obſcuram in partibus vicinis inſlammatiunculam, niſi oculis non detegendam, concitaverat. Hic, ut alibi, ſymptomatica affectio a noſtro argumento aliena eſt. Nam, ubi intermittentium et remittentium febrium, quarum plurimum eſt, ſymptoma eſt, puram inſlammationem non eſſe curatio cortice Peruviano declarat.

SPLENITIDIS.

Splenitidis, cujus in medicinae omnibus monumentis duo tantum exempla reperiuntur, ſigna, quantum nota eſt, ſunt, ‘ Pyrexia, ſiniſtri hypochondrii tenſio, tumor et dolor, premente digito creſcens, abſque nephritidis ſignis.’ Cujus generis raritas, praeterquam quod alia

ſedes

ſedes alia facit ſymptomata, nonnullos locos minus inflammationem capere demonſtrat.

NEPHRITIDIS.

Nephritidem faciunt ‘Pyrexia, in regione renis dolor, ſaepe iter ureteris ſequens, urina aut tenuis et decolor, aut ruberrima crebro reddita, vomitus, cruris ſtupor, teſticulus ejuſdem lateris retractus dolenſve, abſque ſignis nephritidis calculoſae.’ Haec ſunt labes hereditaria; temperamentum arthriticum, quippe quod arthritidi et nephritidi calculoſae commune ſit; aut arthritis jam ante praegreſſa; item provectiore aetate morbi ſpecies incidens, cum vera nephritis ante eam a partu uſque incidere ſoleat, quo tempore calculoſum vitium raro inflammet, raro renes, plerumque veſicam urinae occupet; porro, longae ventriculi offenſae, ut nauſea, nullum cibi deſiderium, aegritudo crebra, indigeſtio, et doloris aliquantum *, nullum aliquando in ipſo rene ſignum; denique pyrexiae praeiens dolor, dein inconſtantior; poſtremo, in curatione ſanguinis detractio rarius, contra, opium perpetuum remedium. His ſignis, nephritidi calculoſae propriis, ab hac vera internoſci poteſt. Cujus magis proprium eſt, quod nulla calculoſae labes hereditaria ſuſpicanda eſt, non temperamentum arthriticum, non ipſa arthritis, morbus priore vitae parte incidens, vehemens protinus ante morbum ſe prodentem

* Cull. Prael. de uſu.

dentem vomitus, dolor pyrexiae comes, parique ac haec deinde conſtantia perſtans, poſtremo, praecipuum remedium ſanguis miſſus ; opium venenum.

CYSTITIDIS.

Cyſtitis definitur, ‘ Pyrexia, hypogaſtrii tumor dolorque, urina crebro et cum dolore reddita, aut ſuppreſſa, et deſidendi irrita cupiditas *.’

HYSTERITIDIS.

Hyſteritidis ſigna ſunt, ‘ Hypogaſtrii calor, tenſio, tumor, et dolor, os uteri tactu dolens, vomitus †.’ Hic dolor ſaepe obſcurus eſt ; ſed inflammatorium eſſe durities pulſuum, et alia, modo memorata, item partus laborioſus, ubi utero ſaepe vis adfertur, docent. Uteri inflammationi propria, ſymptomata nervoſa, et, prae caeteris, delirium, dicta ſunt, quae non partis laborantis naturae, ſed febris magnitudini, tribuenda ſunt. Neque febris puerperalis ab hac origine ſemper eſt, quippe quae forſitan miliaris ſaepe manifeſto typhus eſt.

Ob eandem cauſam, qua cynanche gangraenoſa, ſecunda Culleni ejus generis ſpecies, arthritis quoque rejecta eſt : Utpote cujus neque cauſa, neque altior natura, neque curatio, inflammationum communes, ſed ad nervoſam penitus naturam referendae ſint. Quin

et

* Cull. Gen. Morb. G. 20. † Ibid. G. 21.

et ſymptomata artuum arthritica, quae vere inflammatoria eſſe videantur, non ſunt, et pro diverſi morbi judicatione ſola ſunt habenda. Pari ratione, ubicunque affectus inflammatorii, aliorum morborum diverſae naturae ſymptomata, ſunt, quia hi eorum cauſa ſunt, et horum, non inflammationis juſtae curatio, iis reſpondet; eos omnes, ut a noſtro argumento alienos, excluſimus. Ac, ne affectus quidem vere inflammatorios, qui cum aliis morbis conjuncti, horum occaſione, ſuccreſcunt, comprehendimus; quia, quatenus vere inflammatorii ſunt, eorum natura et curatio ſub noſtra communi doctrina explicabitur, noſque non pathologiam, ſed genus morbi, tractamus.

Poſtremo, genera, de quorum ſignis et definitionibus relatum eſt, in unam doctrinam compoſitam uno conſpectu tradere, et ſedis ac aliarum rerum locorumque naturarum proprietates, ſiquae ſunt, commonſtrare eo conſilio voluimus, ut, varietatibus exceptis, ea ad unum naturalem ordinem, ac forſitan etiam genus, univerſa pertinere, cum magno artis compendio, magnum curationes inchoantibus fructum adlaturo, oſtenderemus.

Abſoluto jam primo capite, ad alterum tranſibo, et communem inflammationis doctrinam exponam.

CAP.

C A P. II.

COMMUNIS INFLAMMATIONIS DOCTRINA.

In hac parte a ſymptomatum, quatenus haec doctrinam dein exponendam tangit, nempe communium, explicatione incipiam. Ea ſunt 'Rubor, calor, et tenſio dolorifica.'

Quod ad ruborem attinet, ut cujuſvis partis rubedo ſanguinis in ea copiae debetur; ita eandem ſanguinis aucta copia augeat neceſſe eſt. Rubedo harum rationum alterutra augetur, ſcilicet, aut vaſis cum recipere non aſſuetis, ſanguis, aut aſſuetis abundantius, recipitur. Recipi abundantius ſanguinem vaſis, eum alioquin perferentibus, cum alia experimenta, tum oculi albi pellucida vaſcula, eo inflammata, rubentia, demonſtrant*. Cujus rei ratio in promptu eſt. Nam vaſorum candor poteſt paululum ſanguinis, quo minus perluceat, prohibere; cujus copioſioris rubedo facile adparebit. Quod ſi, quod fiere poteſt, licet, quatenus Boerhaavius credidit, non fiat †, quodam tenus ſanguis loco erret ‡, eo certius hujus copiae rubor tribuetur. Eſtque certe ruboris cauſa plus ſolito ſanguinis in parte laborante. Auctum calorem eidem ſanguinis impetui aucto deberi, quomodocunque hoc fiat, inter omnes conſtat. Creſ-

* Haller. elem. phyſiol. vol. 1. l. 11. § xxix. v. p. 111. et 112.
† Ibid. § xxx. 113. et § xxxi. p. 115. et 116.
‡ Cull. prael. de uſu.

Creſcere enim calorem, pulſuum non creſcente celeritate, rariſſimum eſt.

Inde etiam tenſiorem eſſe adeo manifeſtum eſt, ut extra controverſiam ſit. In quam rem, quicunque aliter ac nos de inflammationis cauſa judicaverunt, et ſive, ut magnus Boerhaavius, ſanguinem a propriis vaſis in aliena et minora aberrantem; ſive, ut Galenus *, et Hallerus, in telam celluloſam congeſtum; ſive, ut Eraſiſtratus, 'in eas venas, quae ſpiritui accommodatae ſunt, transfuſum †;' ſive, ut Aſclepiades, 'Manantia corpuſcula per inviſibilia foramina ſubſiſtendo, iter claudentia ‡,' poſuerunt; omnes tamen conſentiunt, et diſtentionem ſubeſſe, quia oculis manifeſta eſt, agnoſcunt.

Eadem in omnibus, quos nos pro vera inflammatione recipimus, caſibus, pariter certa doloris eſt origo, ut humorum diſtentionem continentium in curatione ſubtractio, diſtentionem pariter et dolorem imminuens, oſtendit.

Ut horum igitur cauſa auctus impetus eſt, ita quae ejus cauſa ſit, deinceps inquirendum. Boerhaavius et Bellinus inflammationis cauſam vaſculorum partis obſtructionem, in vaſis liberis ad cor uſque ſanguinem percitantem, exiſtimaverunt. Hallerus, Haleſius, et Sauvageſius || id abnegant, et, ſi obſtructio re vera vel maxime ſubeſſet, ejus effectum tardiorem in liberis vaſis

* Hall. ibid. † Celſ. praef. ‡ Ibid. || Vid. theor. inflam. Vid. Hall. tom. 1. l. 11. § i.

ſis ſanguinis tranſitum fore contendunt. Adjicit Hallerus, noſtra vaſa adeo flexilia eſſe, ut majori ſanguinis impetui aut facile cedant, et auctam copiam tranſmittant, aut, ſi reſiſtatur, ſanguinem ad obſtaculum adpulſum retrocedere, et, ramis aliis receptum, ſine ullo negotio evadere. Et, quod doctrinae Boerhaavianae, nempe nata partis vaſorum obſtructione, ſanguinem in liberis tardari, Sauvageſius objecit, id verum eſſe certe plurima experimenta * hydraulica demonſtrant. Porro, ſubeſſe obſtructionem conceſſo, cum ea, praeſertim iniens, perexigua arteriolarum parte contineatur, ita communem univerſo corpori affectum ſuſcitari non poſſe videtur. Centies arteriolae parvae ligatae nullam unquam inflammationem accenderunt †. Neque eandem majores obligatae, ut in ſanguinis profluviorum curationibus et aneuriſmatis videre eſt, efficere ullo modo potuerunt. Quod ſi aorta, prope cor vinculo circumdata, ſanguinem ad caput magno impetu pertulit ‡, id cordi, ex corporis animalis lege, in tantam vim renitenti tribuendum eſt, et cum inflammatione, in exiguis partis et extremis arteriolis ſedente, et tali violentia cor afficere nequeunte, nihil commune habet.

Omnia haec argumenta oſtendunt, obſtructionem per ſe exiguarum arteriolarum, inflammationis ſymptomata minime explicare, et explicationem aliam eſſe quaerendam. Obſtructio per ſe, ſcilicet ſanguinis aliquanti tranſitum impediendo, ſuum effectum non edit, ſed

* Ibid. † Hall. ibid. ‡ Van Swiet. in aph. 120. parag. penultima, ' Vivo cani--------animal.

ſed tentione, quam dat, vaſa vicina, ac deinde totum corpus, ſtimulando. Talem ſtimulum eſſe, et ſine eo nihil obſtructionem valere, hoc patet, quod vincula obſtruentia, dum non irritant, nullas inflammationis notas dant; contra, ubi irritamentum ſubeſt, unde unde id eſt, protinus, cum omnibus ſtimuli, in cor uſque plerumque aſſurgentis, indiciis, ſuboritur inflammatio. Hoc aliquando fit, ubi, ne minima quidem obſtructionis eſt ſuſpicio; ut, ubi ſpina, infra digiti manus unguem caſu inſinuata, uſque ad humerum ſummum ſpargit inflammationem. Eodemque pertinet acrium et ſtimulantium medicinarum effectus; cui utique in internis, et, ut ita dicam, clauſis inflammationibus, minus locus eſſe videtur. In quibus et pleriſque caſibus contra Halleri argumenta, licet non tantum, quantum Boerhaavius opinatus eſt, aliquantum tamen obſtructionis, nempe diſtentionem, incidere, tumor et rubor et ſupra dicta indicio ſunt. Haec vaſorum diſtentio actionem eorum ſtimulo ſuo ſuſcitat. Quae adaucta, ut ad partem humoris praeter debitum copia perfluat, efficit. Atque haec iterum vaſorum actionem in majus intendit. Eoque hic ſtatus ad inflammandum efficacior erit, ſi ſimul vaſa ſic affecta, unde unde conſtringuntur. Atque in uno caſu id manifeſte fit, nempe in rheumatiſmo, ubi utraque, nempe et diſtentio et conſtrictio, concurrit. Ita, calefacto corpore, frigus ad partem forte adſpirans, ejus vaſa, licet calore diſtenta, adſtringet; et, quia calefactus ſanguis conſtrictis vaſis protinus accommodari nequit; ideo is, in ea irruens, morbum excitabit. Contra, ſicubi corporis conſtrictio-

ſtrictiones ſunt, et calor adhibetur, is ſanguinem percitans aut rarefaciens, protinus infert dolorem. Ita, in locis, ubi oſſa olim fracta ſunt, aut ad callum vicinis, et in corporibus rheumatiſmo aſſuetis, leviſſima quaeque ex frigore in calorem mutatio, irritando, refert dolores. Hoc in rheumatiſmo fit, et alios quoque inflammationis caſus ſimilitudinem rationis habere, argumento ſunt ſedes earum, pariter frigori et humorum affluxui patentes. Ita in coryza, ad narium membranae glandulas mucoſas humorum affluxus fit, quae, ubi ad catarrhi modum affectio aſſurgit, ad univerſam narium, faucium, et bronchiorum communicatur. Quae partes, ſic diſtentioni opportunae, frigido aëre eas aſſidue pertingente, frigori quoque, et hujus effectui conſtrictioni, patebunt. Neque idem de ophthalmia non etiam dicendum eſt. Quin et phlegmone toties iis incidens, qui per longam vitam vix ullam intus inflammationem experiuntur, eodem ſane redit. Quo fit, ut e vicenis inflammationis caſibus denae et nonae, aut rheumatiſmus, aut angina, aut regionis pulmonicae affectus inflammatorii, aut denique phlegmone, eſſe obſerventur *.

Quae dicta ſunt, omnem inflammationem puriorem, et ex propria ſua cauſa pendentem, ex obſtructionis aliquanto oriri, idque ad frigoris opus, ſaltem in caſibus de quibus relatum eſt, acceptum referendum eſſe, ut ſpera-

* Cullenus, in prael. de uſu de rheumatiſmo, angina, et inflammationibus pulmonicis ſic judicat; nos de reliquis hic memoratis pariter judicandum arbitramur.

ſperamus, oſtendent. Quod ſi acria quoque, inflammationem accendentibus annumeranda, ab omnibus fere contenditur; ad id reſpondeo, in internis et purioribus inflammationibus, de quibus ſolis hic agitur, illa locum non habere; et, licet varia acria intus colligi et inflammatorios affectus intus quoque conflare poſſe, non inficias eam; tamen eos, ut, aut mixti generis, aut ſymptomaticos, ad noſtram purioris inflammationis rationem non attinere. Exempli gratia, ubi acria ſeu venena enteritidis ſpeciem efficiunt, aut alia in dyſenteria ſuborta, alias atque alias inteſtinorum partes inflammant; aut ubi poſt febres juſtas quivis hujus canalis tractus inflammatorio quovis affectu afficiuntur; aut ubi calculus nephritidem imitantur; eos omnes caſus, ob rationem modo relatam, utpote ex diverſa, ut plurimum cauſa proxima pendentes, et ab inflammationis curatione diverſam requirentes, rejicimus. Neque hoc ſchemate noſtro quicquid utile perit. Nam, etiamſi inflammatorii affectus, a tali cauſa remota proficiſcentes, unus aut alter, in proxima quam poſuimus cauſa conſiſtunt, et inflammationis remediis tollendi ſunt, qualis gonorrhoea virulenta manifeſto prope eſt; tamen, ejuſmodi omiſſis, incommodi nihil orietur; ſiquidem et cauſae proximae et curationis eorum ratio doctrina noſtra communi comprehenditur, nec res ipſa ſed nomen tantum reticetur. Magis etiam a propoſito noſtro, ſtimulorum mechanicorum, ut inflammationis cauſarum remotarum, ratio, aliena eſt, ſiquidem vulnera contuſioneſve, et ſiquid ſimile inflammationem facere

dicitur,

dicitur, cauſam proximam manifeſto variant, et pro curatione chirurgi manum ſibi vindicant. Quod, ſi in hujuſmodi affectibus, quos inflammatio plerumque quidem comitatur, ejus remedia quoque requiruntur; quoad id ſit, modo dicta de caſibus e rebus acribus ortis repetantur. Satis enim nobis fuit, praecipua et maxime clara hujus morbi generis exempla retuliſſe, communem de iis doctrinam propoſuiſſe, et quicquid non memoratum, eo magis aut minus pertinere utique videatur, id ex communi inflammationis pathologia eſſe petendum, ſemel commonuiſſe.

Ut de communi inflammationis cauſa proxima, uno porro verbo, abſolvam, conſtrictio ſimplex a frigore pendens, non ſatis eſt, totam rem non explanat. Durabiliore conſtrictione, qualis ſpaſmus dicitur, opus eſt. Spaſmi aliquid aut aliquale inflammationi ſubeſſe, memorabiliorem quamque phlegmaſiam febris comitans, argumento eſt. Nam, ſi, ut jam dudum in hac academia * demonſtratum, ni fallor, eſt, febris juſta ſpaſmo fundatur; in eodem febrile quoque morbi, de quo agitur, genus aut fundari, aut cum eo arcte haerere, concluſione haud coacta ſequitur. Praeterque hoc, ſpaſmum hic quoque ſubeſſe, ejus, ubi ubi incidit, perpetuum ſignum, horror oſtendit. Eodemque pertinet, et hanc rem amplius confirmat, quod ortus frigoris, et ſpaſmi ſub hoc formatio, unicuique actioni auctae neceſſaria ſunt. Ideoque, ubicunque debilitas, ut in febre,

* Cull. Prael. de uſu in febre et alibi.

bre, aut reſiſtens aliquid, ut in inflammatione, ſuperanda ſunt, opus erit ſpaſmo. Ut ſpaſmus febrem pariter et inflammationem continet, ita is in utraque differt.

Quod ad inflammationis ſpaſmum attinet; in hac partis affectio eſt, in arteriis extremis ſita, harum prius, mox univerſarum, actionem ſimul et tonum ſeu contractilitatem, nempe ſe contrahendi poteſtatem, adaugens. Ea diatheſis phlogiſtica habetur.

In aucta univerſarum arteriarum actione et tono, diatheſin phlogiſticam conſiſtere, declarant, 1. Seminium ejus, quod ſemper corporis vigor, aut, ut ita dicam, rigor eſt *: 2. Cauſae occaſionales, ut coelorum et temporum frigora, frigus recta corpus feriens, item acres ſtimuli, et interdum ipſa medicamenta tonica liberius aſſumpta, ut cortex Peruvianus et ferrum; quae omnia, ut diatheſin inflammatoriam gignunt, ita manifeſto tonum intendunt: 3. Effecta ejuſdem, nempe ubique arteriarum auctus tonus, ubique calor auctus, ubique juſto validiores, et, teſte diuritie, tenſiores pulſus: 4. Curatio, quae, ut in praecipuo remedio videre eſt, in arteriis varie relaxandis poſita eſt.

Diatheſis haec praecipue phlegmaſias a febribus hoc diſtinguit, quod in illis perpetua eſt, his caſu tantum accidit. Hinc vero excipienda ſynocha eſt, quae phlegmaſias, quam febrilem naturam magis refert, et ab illis,

* Ad huic contrarium habitum reſpicit Hippocrates aph. L. 6. aph. 33.

lis, niſi quod a partis affectione non oritur, ſaltem in pleriſque rebus, vix differre videtur. Aliud a febribus eas diſtinguens diſcrimen eſt, quod a debilitatis ſignis, ut plerumque febres, phlegmaſiae non incipiunt, neque in putredinem, quae toties illarum exitus eſt, unquam deſinunt. Scilicet purior et ſimplicior inflammationis natura eſt. Et, ut a rebus corpore receptis, quatenus idiopathica eſt, nullis, materia nulla, pendet; ita nec contagionem * unquam ſpargit. Ob quam quidem cauſam, licet communis aëris ſtatus plurimis quoque hominibus communem reddat, pro epidemico vix habenda eſt.

Sic quodam tenus pro inflammationis cauſa obſtructione, ita nempe, ut fuſius jam explicatum eſt, recepta, Boerhavianam repudiamus. Nam, praeter errorem loci, qui ſupra, ut ſpero, ſatis refutatus eſt, alterum ejuſdem doctrinae fundamentum †, nempe humorum 'molecularum moles,' ab eorum 'viſcoſitate pendens,' qui alibi 'lentor' ejus eſt, falſa illi ratione recepta eſt. Hujus opinionis initium dedit ſanguinis, quaſi pellis coreaceus, cruſta, a morboſo hujus ſtatu eſſe credita. Verum, ut ipſe Van Swietenius § fatetur, et nunc inter omnes convenit, ea neque a morboſo ſanguinis ſtatu, neque ſemper ſub morbo, oritur, neque inflammationi propria eſt, ſed in habitibus huic contrariis, atque etiam ſanis,

* Vid. definitiones et hiſtoriam hujus operis initio a pagina 2. ad paginam 22. † Boerh. aph. 110. 115. 116. 117. 371, 372. § Ibid. aph. 384.

ſanis, adparet. Neque, ut omnes nunc norunt, pars ſanguinis eam praebens vitiata eſt, ſed ſaniſſimum ſanguinem conſtituentium partium una et naturalis eſt. Verum, licet pars, unde cruſta eſt, naturalis ſit, eam tamen tum vitiari, cum nimia ejus, prae reliquis ſanguinis partibus, abundantia ſubeſt, illuſtris Gaubius proponit *. Pars quae cruſtam dat, lympha ſanguinis ſeu fibra Gaubiana eſt. Nec dubium eſt quin abundare poſſit. Abundantiam ejus dat victus lautus, auctior circulatio, exercitatio corporis nimia †, eae poteſtates, quae cruſtam inflammatoriam gignunt, quoniam ſubito id facere non ſunt credendae; ergo cruſtae hanc in inflammatione ſpeciem minime explanant. Ita, v. vel vi. poſt inſitionem variolas die, nullam, intra xii. poſt coeptam febrem horas, repraeſentat cruſtam ſanguis. Pariter autem ſubito lymphae abundantiam fieri quis dixerit? Verum, eſto abundantia lymphae cruſtam procreare, hoc, nimium probando, nihil probat: Si enim qualibet una in parte abundantia, in omnibus foret, univerſus ſanguis laboraret, et in omnibus vaſis extremis obſtructio ſequeretur.

Ut ſupra dictam doctrinam paucis concludam; in inflammatione ſanguis in partis alicujus vaſis percitatur; percitat major debito vaſorum actio: Hanc ſtimulus efficit; ſtimulum eorundem vaſorum diſtentio ſuſcitat. Diſtentionem duorum alterutrum dat, aut ſanguinis ad partem

* Path. 284, 285. 335. † 367.

partem affluentis, eoque difficilius vaſa pertranſeuntis, abundantia, et idem quod abundantia ſanguinis raritas facit, aut vaſorum (nam lentor aut rariſſima aut nulla hic cauſa eſt) conſtrictio. Hinc, nempe vaſis diſtentis et reſiſtentibus, ſpaſmus, quem contra omne in extremis vaſis obſtaculum natura, illo irritata, concitat, ſuboritur. Spaſmus hic a febrili diverſus, diatheſis phlogiſtica eſt. Haec in aucto praeter naturam arteriarum univerſarum tono conſiſtit.

Haec ſpecies inflammationi communis eſt.

PROPRIORUM INFLAMMATIONIS QUORUNDAM EXPLICATIO.

Peracta communi inflammationis doctrina; proprietates quaſdam, aut a partium natura, aut ab earundem affectione iis proprias actiones afficiente, deinceps attingendum eſt.

Phlegmones et eryſipelas ſignorum varietatem * dat loci naturae proprietas. Hinc rite mucoſum affectum, non in pus vertendum craſſiorem humorem, recipiens, et varia acria colligens, acrem et ſeroſum humorem, cuticulam levantem urentemque, exhibet. Qui infra cuticulam ſuffuſus, dato vacuo ſpatio diffuſus, ſpargit affectionem. Eryſipelati hoc quoque proprium, quod in vultu aut capite ſedens phrenitis ſubſequitur †, oſtendit

loci

* Vid. ſupra, p. 23. 4. † P. 46

loci hic proprietatem, ad communem diatheſin phlogiſticam afficiendam, magis, quam phlegmonen, valere; vix enim haec ſimile quicquam, niſi in ſolo oculi altius inflammati caſu, nec par periculum, infert.

Tunicarum quoque oculi naturae propriae tribuendum eſt, quod earum inflammatio rarius pyrexiam trahit, et rariſſime in pus, tenuibus membranis ad laxiorem non vicinis, craſſum humorem, puri faciendo idoneum, parum recipientibus *, tranſit.

Loci etiam proprietas in cynanche ſtridula facit, ut tracheam cruſta, quaſi membrana, obducat. Hic praeceptor noſter Homius, ob accuratam hujus letiferi caſus deſcriptionem, magnam laudem meruit.

In peripneumonia pulſuum mollitiem facit ſedens in propria pulmonum membrana morbus, ibi faciliorem diſtenſionem aut effuſionem, arteriolas, ſed cum periculo relaxantem, recipiens †.

In gaſtritide et enteritide, magna ſtomachi et inteſtinorum ſenſilitas, atque inde, irritamento oblato, irritabilitas, pulſus typhodes dant, et, quantae debilitati loco tenero hic inflammationis irritamentum ſit, oſtendit ‡.

In phrenitide quoque partis laborantis ſenſilitas efficit, ut ſanguis ad cerebrum percitatus, citra juſtam inflammationis cauſam, eadem fere ſymptomata, quae inflammatio ipſa, peragat. Hinc ſymptomatica ab idio-

 pathica

* P. 4 5. 6. † Cull. Prael. de uſu. ‡ P. 11. 12.

pathica phrenitis adeo aegre diſcernitur. Et hinc ex parte eryſipelatis capitis periculum *.

Quod ſi in cerebri, pulmonum, et maxime jecoris, parenchymate, inflammationis veſtigia, inciſis cadaveribus, deprehenſa ſunt, quae nulla aut perobſcura ſui, et non niſi in ipſo mortis articulo, indicia peregerant; is caſus loci alicui proprietati tribuendus, ut dignoſci certius poſſit, quam maxime exoptandum eſt †.

In nephritide, 'Vehemens protinus ante morbum ſe prodentem vomitus ‡,' ad aliquam renis proprietatem referendus videtur. Qualis vero ea ſit proprietas, quove modo explicanda, nequeo clare dicere. Eſt autem eorum caſuum, ubi alibi irritamentum agit, alibi motus ab eo oriens incidit, exemplum; conſenſumque, medio cerebro, ventriculi cum rene demonſtrat §. Haec ſunt proprietatum a partium naturis propriis pendentium, et inflammationem aliquantum variantium, praecipua exempla.

Aliae oriuntur, prout partes quaedam morbi ſedes ſiunt, et ſic harum propriae actiones perturbantur. Ejus rei tot exempla ſunt, quot caſus ** ſupra relati ſunt. Ita, exempli ergo, in cerebri inflammatione, actiones animales; in pulmonum et cordis, vitales; in faucium et canalis alimentarii, naturales; in oculorum, videndi ſenſus, et ſic deinde; participes mali fiunt.

CAP.

* P. 12. 13. 14. † P. 14. 18. ‡ P. 20. § Cull. Synop. in Inſtit. Nop. LX. 2. CXVIII. CXIX. 5. 7. CXX. ** A p. 2. ad 23.

CAP. IV.

CAUSÆ REMOTÆ.

Cauſae remotae hujus generis inflammationis ſunt, corporis vigor et ſanguinis in partem laboraturam libramen inclinans; quod ſeminium morbi eſt; et frigus, ita agens et una cum ſeminio conjungens operam, ut ſupra explicatum eſt *. Quod autem de aliis cauſis remotis, nempe ſtimulis chemicis et mechanicis, dictum eſt, eo iterum relato opus non eſt.

Et, ob ſimilem cauſam qua eas, ita et compreſſionem, rejicimus: Nam ſi, exempli ergo, ſchirrus inflammationem accendit, talem caſum, ut ſymptomaticum, et ab omnibus noſtri generis alienum, quis rejiciendum negaverit?

CAP. V.

PROGNOSIS.

De toto hoc magno genere ita judicandum eſt, ut quo vitae neceſſaria magis ſedes ſit, quo plus febris accendatur; quo minus prope partem laborantem remedia perferri

* Vide Cauſ. prox.

ferri liceat; quo majori impetu furat gangraenam minitans inflammatio; quo magis ad effuſionem ſive ſtrangulaturam, ſive hydropem daturam, locus opportunus, quove inflammationi ſubjectus, ſenſilior ſit; eo gravior et periculoſior morbus habendus ſit. Quod autem ad proprietates attinet, ſuppuratio ibi, unde pus educi nequit, et pulſuum fallax ſive mollities ſive exiguitas, item vultum occupans eryſipelas, metuenda ſunt. Poſtremo, longior vehementiorve tunicarum oculi maculas corneae aut caecitatem denunciat.

CAP. VI.

CURATIO.

Ut tandem ad curationem noſmet convertamus; quoniam ex ſupra relatis jam, ſpero, patet inflammationem ea, qua ſumpta hic eſt, latitudine, poſſe ſine violentia et cum fructu pro genere tractari; nunc noviſſimum, et maxime ſeverum ejus rei periculum faciamus, et ſupra expoſitae doctrinae conſilia medendi et remedia accommodemus.

Quoniam in partis congeſtione et extremorum vaſorum ſpaſmo inflammationem conſiſtere dictum eſt; ita conſilia medendi duo eſſe ſequitur, ſcilicet,

I. Auc-

I. Auctum in parte affecta impetum imminuere.
II. Extremorum vaſorum ſolvere ſpaſmum.

1mo, Reſpondent adminiſtratio antiphlogiſtica, ſanguinis detractio, alvus facilis, et refrigerantia.

Adminiſtratio antiphlogiſtica in irritatione vitanda conſtat. Irritant impulſus ſenſuum, cogitationem et animi affectus pertubationeſque procreans; item motus; tum alimenta; poſtremo quaedam corpori naturalia, aut caſu ſupervenientia. Haec in omni febrili morbo, atque etiam in febribus juſtis fere omnibus, vix ſummopere debilitantibus exceptis, neceſſaria eſt; ubi curatio ſtimulans, quae exquiſita rara eſt, non tamen irritationem, ſic quoque ſuborientem, omni cura caveri vetat. Sed in morbi, de quo agitur, genere, haec curatio quam maxime exquiſita et toto ſuo orbe requiritur.

Impulſus, licet non perpetua, praecipua tamen motuum corporum noſtrorum origo et ſummus ſtimulus ſunt; eoque major, ſi non moleſtiam ſolum faceſſunt, ſed et ad doloris modum aſſurgunt. Quocirca, inſolitus omnis impulſus eſt cavendus; primumque, ut ſenſus ſequamur, tactui conſulendum eſt, et molliter corpus diſponendum, ne quid ex moleſta poſitura irritamenti criatur. Saporis et olfactus moleſtia vitatu facilis eſt. Sonus et lux, ut maximo irritamento, ubi ubi cerebrum afficitur, et febris gravior eſt, et, prae caeteris caſibus, in phrenitide et ophthalmia paulo vehementiore, inductis tenebris et quiete profunda parta, fugi-

fugienda ſunt. Cogitatio, magnus quoque ſtimulus, non adeo rectu facilis eſt. Solum, quod fieri poteſt, eſt, alia atque alia animo objiciendo, ſeriem et difficultatem cogitandi, prohibere. Item omnes ſenſus ad animi affectionem aut perturbationem, quae magno irritamento ſunt, ducentes, quod facilius factu eſt, fugiantur. Verum, in incipiente delirio, ex hac regula paulum recedendum eſt, ſi ſolitarum rerum abſentia veniens delirium auget. Quod utique, ne, ſi temere objici ſolita reſtituantur, ea res augeat affectum, caute adminiſtrandum eſt.

Stimulo quoque frigus et calor ſunt. Quorum illud, quoniam omni ſpaſmo formando favet, et diatheſin inflammatoriam et febrem auget; initio, nempe quandiu horror, quandiu frigoris ſenſus, permanet, vitandum, ſed non calor, et potius grata temperies, quaerenda eſt. Poſt initium et jam conſtituta febre, calore, ut graviſſimo irritamento, caute, et haud paululum frigoris, adhibendum. Ab hoc praecepto rheumatiſmus, cujus curatio, in foraminibus cutis apertiſſimis, ad magnum et diutinum ſudorem uſque conſiſtit, excipitur; item anginae modicus calor convenit.

In reliquis caſibus, nihil febris gravitati melius frigore, quod non ſummum et nimium ſit, moderatur. Quod ad modum frigoris attinet, quoniam noſtra corpora certum gradum conſtanter generant, ita tamen, ut externa temperies illum calorem afficiat, cujus gradus hic LXII. gratus

gratus eſt ; ſic quoties plus juſto corpora noſtra tumultus febrilis calefecit, infra gratum punctum temperies externa deducenda videtur. Deducitur duabus rationibus, aqua humi adſperſa, aut recentibus plantis ſtratis, quae vaporando frigus gignunt, aut cubiculum perflando. Quod, ſi corporis proprius calor circa id concluſus offendit, veſtis pars detrahatur, et pro lanea, lintea, calorem minus retinens, geſtetur. Atque haec corpori laxe circumdetur ; manus, quo ſpiraculo vapor calidus effugiat, denudetur, ignis removeatur. Quo haec accuratius perficerentur, et curatio alexipharmaca ſui ſeculi omni ex parte caveretur, Sydenhamus ſuae curae commiſſos quamplurimum extra cubile in ſedili tenuit. Quod praeceptum, in debilitate febrili ſaepe incommodum, in inflammatione utiliſſimum eſt. Ab hac caloris fugiendi regula, in omni fere febrili morbo, maxime in hoc perpetua, duo excipienda ſunt, balneum et fomenta, et ratione, quam minime calefaciente, ſudorem moventia : De quibus ſuo loco dicetur.

Motus alter irritationis fons ſunt. E quibus duo genera ſunt, nempe, quo corpus propriis viribus, et quo alienis, movetur. Propriae vires, quibus movetur, ſunt ipſius muſculi. Eorum actio ſummo, et tam in febribus pleriſque, quam in omnibus inflammationibus febrilibus, ſed maxime in his, nocentiſſimo ſtimulo eſt. De curſu aut duriore corporis labore ridicula foret oratio. Sed neque ambulationem, ubi plurimi muſculi agunt, neque ſtationem, ubi multi et longi prae caeteris contracti ſervantur, tolerat inflammatio. Ac ne ſe-

dendi

dendi habitui neceſſariae muſcularis actionis irritatio reſponderet, niſi plus boni, refrigerantior, ſic corpori circumfuſa aura, quam irritatio, mali, adferret. Verum, ſi aeque refrigerari corpus poſſet, magiſque etiam, ſi quando aliae res ſedilis uſu interdicant, jacendi habitus, ſub quo pauciſſimorum ad ſuſtentandum corpus muſculorum opere opus eſt, reliquis omnibus habitibus anteponendus eſt. Adeoque, ut in typho, ubi minima hujuſmodi motio maximo irritamento eſt, ita in hoc morbi genere, ubi prae artuum dolorum gravitate, hi moveri nequeunt, cubili ſedile poſthabendum eſt. Quibus dictis patebit, ſi, ut minimum, ſedendi quies neceſſaria eſt, certi omni geſtatione, quae haud paulo actuoſior eſt, interdici. Poſtremo, loquendi uſus, ſanguinem per pulmones percitans, praecipue in horum inflammatione, atque in aliis, ne ſic febrilis aeſtus irritetur, vitandus.

Alimentum ſemper, etiam in ſaniſſimis, aeſtum concitat. Ut id igitur in canalis alimentarii inflammationibus recipi omnino non poteſt; ita in omnibus, quia ſanguinem percitat, et febrilem aeſtum accendit, ideo et parciſſime adhibendum, et delectus habendus eſt, vel potius uſu ejus interdicendum. Hic alimenti dandi ratio, quodam tenus ac in febribus communis, eo differt, quod in his, maximeque typhi formis, adverſus morbi diuturnitatem, praeſertim ſi deſideratur aut inedia ſtimulo erit, aliquantum cibus permittitur; in inflammationibus vix quaelibet abſtinentia nocet. In utriſque caro, quia alcaleſcenti natura eſt, quia nimis

alit,

alit, et quia minus cutis foraminibus dilabitur, perpetuo vitatur. Sed in inflammationibus, ſaltem gravioribus, ne e plantarum genere parati cibi, et dilutione concoctu faciliores redditi, quidem requiruntur. Ideo hic omnis cibi ſtimulus vitandus videtur.

Quod ad potionem attinet; vini et ſpiritus fermentati omnia genera, ſive mera, ſive quantumvis diluta, deneganda ſunt; quorum, in tanto corporis aeſtu, intolerabilis ſtimulus erit. Neque, ut in variola Sydenhamo placuit, cereviſia tenuis; neque, ut alii febricitantibus, potioni meraci aſſuetis, ſuadent, hujus dilutioris paululum, in hoc morbo permittenda ſunt.

Item irritant quaedam corpori ſive conſueta et naturalia, ſive temporaria et caſu incidentia. Eorum primum eſt

Sitis.——Quae, licet ſtimulantem omnem potionem vetuerimus, tamen ipſa, ut, ni extinguatur, ſtimulo futura, omni ratione compeſcenda eſt. Ei rei blanda, potui data, accommodata ſunt. Potionis hic, ac in febribus ſynocha excepta, paulo diverſa temperies convenit. In iis adverſus debilitatem, aut, praeſertim primarum viarum, putredinem, frigida, quae et ſitim optime ſedat, requiritur; in ſynocha, et magis etiam in hoc morbi genere, ne frigoris ſtimulus diatheſin inflammatoriam augeat, et morbum exaſperet, tepida eligitur. In iis caſibus, qui febre, ideoque ſiti, carent, potio omnis ſupervacua.

Quod ſi rapida ſanguinis circuitio, et comes ejus calor magnus, aut humorum excerni debitorum pars, con-

ſtrictis vaſis excernentibus, retenta, acredinis quid humoribus noſtris, (quod in omni malo febrili quodam tenus fieri veriſimile eſt,) impertiat; et ſic corpori irritamento ſit; adverſus id nihil eadem potione tepida, ut diluente, utilius erit.

Aut, quoniam fibrae muſculares ventriculi ita cum extremorum vaſorum conſentiunt, ut, his vigentibus, illae vigeant, languentibus, langueant; ſi igitur ſub ſpaſmo extremorum vaſorum inflammatorio, ventriculi actio impedietur, et cruda gignentur; (quae rarius utique hic, quam in febribus moleſtiae ſunt), ea vomitu ejicienda ſunt. Aut, ſi, quia cruda minus offendere hic plerumque videntur, et in nonnullis caſibus, ut interioris capitis, et faucium, ac forſitan pulmonicis inflammationibus, juſtus vomitus intolerabilis eſt; nec is, ſedente in alimentario canali morbo, arte omnino excitandus eſt; tamen emetica, ſaltem nauſeam moventia, vaſa extrema aperiendo, ad ſpaſmum ſolvendum, quod alterius loci eſt, pertinent, quodque hujus eſt, ventriculi actionem ſuſcitando, motum periſtalticum citant, et tenſionis canalis alimentarii ſtimulo, qui, late corpus afficiendo, plurimum inflammationis ſtatui non nocere non poteſt, demendo, certe proſunt.

Idem, adverſus alterum irritamentum, nempe durum in colo ſtercus, uſui eſt. Quod, quoniam mole pro certo, ſi non acri, ut in febribus, natura, nocumento eſt, idque, hanc partem diſtendendo, quae diſtentio ad totum corpus pervenit; idcirco clyſteribus in omnibus

caſibus

caſibus educendum eſt. Quibus in caſibus purgantia alvum requirantur ſuo loco dicetur.

Ut ad ſanguinis detractionem tranſeam; quoniam tonum vaſorum tenſio ſuſtentat, hancque aut auctae contractiones aut ſanguinis copia major augent, et ſic ſanguinis percitati pariter cauſa fiunt; et plethoram arterialem, ſive veram *, aut etiam ſpuriam †, ſive relativam ‡, creant; ad talem plethoram imminuendam et ſanguinem tardandum, nihil hujus detractione efficacius eſt. Utque adminiſtratio antiphlogiſtica, ita haec in nullo magis aut liberius, quam in hoc morbi genere, aut cum fructu majore, adhibetur. In omni inflammatione, ſive febrili ſive non, ſanguinis detractio auxilio eſt, in febrili vero neceſſario. Ejuſdem tanto major virtus eſt, quanto diatheſis inflammatoria aut unde unde ſpaſmus, urgent magis, aut irritationes, jam memoratae, magis evitantur. In febribus multae notae, quando aut quem ad finem ſanguis mitti debeat, propoſitae obſervantur §. Quae cum omnes eo conſilio adhibeantur, ut, an inflammatio ſubſit necne, et, ſi ſubeſt, quis ejus modus ſit, cognoſcatur; quae res hic manifeſta eſt, ideo hic ſupervacua ſunt. Cum igitur ſanguinem detrahendum eſſe conſtet, proximum eſt requirere, quo modo, ex qua parte, quantum, quando, quamque diu, detrahendum ſit. Quod ad primam quaeſtionem attinet, nempe,

Quo

* Gaub. Path. 388. † Ibid. 390. ‡ Ibid. 389. § Eas optime digeſtas in Cull. Prael. de uſu in feb. curat. videbis.

Quo modo ſanguis detrahendus ſit? nunc inter artis peritiores omnes fere conſtat, ſi certa copia detracta opus eſt, eam ſemel, quam diviſis temporibus, et, celerius, nempe continuato e larga plaga flumine, quam tardius, et ſuper membrum ſerpentem, detrahere praeſtare. Hac ratione plus auxilii in una uncia, quam altera in pluribus detractis, eſt. Sic in hyſteria ſaepe ſpaſmi levantur *; neque

E qua parte potiſſimum ſanguis detrahendus ſit, amplius in dubio eſt. Rejecta enim ab optimo quoque pathologo revulſionis et derivationis doctrina; nunc, quo propius partem laborantem ſanguis educitur, eo plus auxilii pro rata parte ſequi, inter omnes fere convenit. Unde, in prognoſi, eorum caſuum minus laetum finem ſperandum, quorum minus prope ſedes praecipuum hoc remedium perferri poſſit, ante pronunciatum eſt. Quod ſi, pulmonibus affectis, utro ex brachio mittatur ſanguis, vix refert; id fit, quia neutrum brachium prope partem affectum eſt, et detractio non vicinitate, ſed quia corpori communis eſt, prodeſt.

Quantum detrahi debeat, ut in argumento tam amplo dicere coner; quo plus diatheſis phlogiſticae ſubeſt, et febris vehementior eſt, quove urget magis dolor, aut partem vitalem laborare ſigna clarius indicant, magiſve ex exiguis poſt detractionem pulſus ampliantur; eo plus detrahi debere, perpetuum fere praeceptum eſt. Hinc cerebro, et pulmonibus laborantibus, plurimum ſangui-

nis

* Vid. Cull. Meth. Med. in Prael. de Inſtit. et paſſim.

nis profundendum, et in his eo plus, quo pulſuum mollities et hebes dolor effuſionem ſuffocaturam magis oſtendunt: His proximam copiam oppreſſi poene, canali inflammatorio affecto, pulſus requirunt. Quod ad exactam menſuram attinet, de ea nulla certa regula ſtatui poteſt. Reſque pro aetate, ſexu, temperamento, et corporis vigore, et prout magis aut minus quiſquam ſanguinis miſſionibus ante aſſueverit, finienda eſt. Sed, ut aliquis modulus, quam plurimis rebus communis, quacunque attentetur; in homine adulto unciarum XVI. ſemper magna eſt detractio; XXXII. unciarum XXIV. horarum ſpatio ad nimiam plerumque vicina eſt, et ultra XLVIII. intra totidem horas ſine periculo raro ibitur. Quod, ſi LXIV aut LXXX unciae eo temporis aut quatuor dierum ſpatio, ademptae impune ſunt, id et rariſſimum eſt, et pleriſque rebus, quae largam detractionem poſtulant, quales ſunt aetas florens, ſexus virilis, temperamentum ſanguineum, prior ſanguinis profundendi conſuetudo, ſimul concurrentibus, factum eſt.

Eſt unus caſus, in quo aut largae detractionis mala, aut inſtans ſtrangulatio periclitanda ſunt. Quorum periculorum utrum adire potius ſit, dubium eſſe nequit.

Hi ſanguinis demendi, in graviſſimis inflammationis caſibus, fines fere ſtatuendi ſunt. Et, ſi jactura cum toto rubro ſanguine, qui in homine adulto ineſt, qui librarum XXX. nunquam ſupra XL. eſſe aeſtimatur *, comparatur,

* Hall. Elem. et Cull. Prael. de uſu in cur. phleg.

paratur, certe magna videri debet. Aut in tam exquiſito vaſorum ſanguiferorum libramine, ubi tenſio paululum ſuperans aut deficiens omnes actiones noſtras tantopere afficit, et harum integritati juſta neceſſaria eſt, ſi manifeſto ſuperantem tenſionem paucae unciae detractae in rectum reſtituunt, quantum exceſſum non tollere poſſe copia relata putanda eſt.

Quamquam igitur liberius in hoc morbi genere, quam in quolibet alio, ſcalpello uti licet, tamen cavendum etiam hic ab immodica ſanguinis detractione eſt. Nam, ſi una e venis detractio vix ſatis ad mortem eſt, hanc tamen plures facile inferunt. Quin et ejuſdem vis nocens citra perniciofam, corpus debilitando, multa mala trahit. Quae quidem una cum eorum explicatione paucis, quaeſo, accipe. Tot foramina, tot exitus in noſtris corporibus ſunt, ut quo modo humores retineantur, et non, quaſi aqua cribro, undique diffluant, mireris. Retinentur tamen duabus partibus craſſioribus tenuiores, nempe rubris globulis et ea glutinis parte quae non diſſolvitur, ſed reliquis diffunditur. Eae partes, et haec preacipue, viſciditate ſua reliquas impedit, et excretionibus modum ſtatuit. Sanguinis detractio craſſiorum partium plus, pro ratione, quam tenuiorum abducens, humores intus ita fluxiles relinquit, ut omnibus exitibus effluant, verſique in vaſa exhalantia, iiſque in telam cellulofam effuſi, anaſarcam creant. Sed et alia mala trahit ſanguis immodice abductus. Hinc enim totum corpus, ideoque organa concoctricia, debilitando, haec alimento applicando ineptiora reddit. Illinc materia, quam maxime alens non deſideratur, ſed ſoli liqui-

liquidiores cibi aut ſorbilla accipiuntur. Atque ſic ex utraque cauſa craſſiores partes non reparantur. Cumque ſimul magis atque magis tenuiores humores undique dilabentes vaſis excernentibus efferantur; hinc longa debilitas, vitae aliquando coëva, ſemper reparatu difficilis, neceſſario ſubſequitur. Porro, in pulmonum affectione, ut non ſolum mucus ex glandulis mucoſis manifeſte, ſed et ſeroſus liquor in cava bronchia effuſus, ſputi materia eſſe videtur, et uterque poſt mortem reperitur *; ita nimia ſanguinis, etiam hic, ubi maxime requiritur, detractio, illam effuſionem ad ſuffocationem uſque augendo, exitium trahere poteſt. Poſtremo, eadem in artuum affectione eam infert debilitatem, quae morbum revocat, et aequalem vitae ſervat. Nunquam enim frigus, ibi ſedente inflammatione, quo ei aditus eſt, efficacioſius ad inflammationem ſive faciendam, ſive ſervandam, ſive etiam exaſperandam et augendam, quam unde unde corpore debilitato, reperitur.

Quando autem ſanguis detrahendus ſit, ut uno aut altero verbo expediam; in omni inflammatione, ubi febris ſeu pyrexia eſt, et diatheſis inflammatoria ſubeſt, ad hanc quam primum ſolvendam quam primum ſcalpellus utendus eſt; quo enim diutius differtur, eo pejor erit affectus, et largiorem requiret deinde detractionem. In caſibus autem, ubi aut loci propria natura, aut actionum ejus neceſſaria vitae dignitas, morbi decurſum maturat, im-

* Pus ibidem a Du Haeno obſervatum aliunde eſſe non poſſe videtur.

imminentis necis certum periculum, expediatur ſine jactura temporis remedium flagitat. Hujuſmodi ſunt cerebri affectus, cito et pulmonicus, ſaltem intra triduum plerumque, effuſione ſaepe jam relata, ſubtracto auxilio, jugulans. Neque, ruens in gangraenam ſtomachi et int ſtinorum caſus, loco proprius, ullam moram recipit. Idemque de eryſipelate os invadens dicendum. Poſtremo, quoniam hoc in inflammatione omni vera capitale fere remedium eſt, ita eo nulla mora uti, poſtquam certus ſatis morbus eſt, perpetuum eſt praeceptum. Quod ad quaeſtionem attinet,

Quamdiu detrahendus ſanguis ſit? Prima regula eſt ut, unaquaeque detractio eo uſque urgeatur, quoad ſymptomata levata, ſi non ſublata fuerint, et quoties redeant, toties renovetur. Ideoque antiqua regula, poſt quartum diem detrahi in peripneumonia ſanguinem vetans, mala eſt. Hic caſus eſt, ubi effuſionis metuendae tantum eſt periculum. Ejus, ſi idoneis remediis non mitigatus ante eſt, inter tertium et quartum aut aliquo ante ſeptimum diem ſymptomata remittere ſubito ſolent, ac poſtero die exaſperari, ſaepe dehinc immedicabilia *, et, inciſa vena, pejora. Sed hoc fieri videtur, quod aut immane malum eſt, aut remediis non ſatis intra modum cohibitum. Quod ab hujus remedii uſu minime poſt certum tempus abſterrere debet. Nam aliae remiſſiones ſunt, quas aliae exaſperationes ſequuntur, ſanguinis miſſionem in primis ſibi vindicantes. Ita hac

* Cleghorn's diſeaſes of Minorca.

hac primo, puta, die ſymptomata ſoluta, poſtero redire ſolent, et, altera miſſione iterum ſoluta, poſtea iterum, et ſic ad ſeptimum vel etiam nonum diem perſtare. Eo igitur uſque remedium continuandum eſt. Et ſumma cura fallax, quam effuſio dat, remiſſio, hancque ſubſequens, remedium reſpuens, exaſperatio, ab ea remiſſione quam remedium parat, eaque exaſperatione, quae nondum penitus ſolutum morbum, ſed ſolutum iri, renovato remedio, promittit, diſtinguendae ſunt. Pneumonica affectio interdum ut pleuritis incipit, cum dolore acuto, ſine anxietatis aut dyſpnoeae multo; et, quia ſatis ſanguinis non admitur, in peripneumoniae ſpeciem degenerat, doloris acuti expers, pro quo anxietas et ſpirandi oppreſſio ſuccedit. Alium venae incidendae finem ſtatuit ſputi, dyſpnoeam et reliqua ſymptomata ſublevans, copia. Eadem non ſublevans, quia magnum ſanguinis impetum ſerum in cava bronchia praeter debitum profundere, et violentum morbum eſſe, ſignificat, ob id ipſum, nempe, ut exhalatio minuatur et violens impetus reprimatur, accurate remedium exigit*. A ſcalpelli autem uſu, cum ſputum ſymptomata ſuſtulit, deſiſtimus; non quod ſputi ſuppreſſio formidini eſt, ſed, poſt multum jam ante ſanguinis profuſum, quia debilitas nocens, ſic illata, timenda eſt.

Adeoque ſanguinis miſſio, non muci excretionem, aut ſeri exhalationem, id eſt, ſputi profluvium, ex de-

G rivationis

* Cull. prael. de uſu in peripn. Confuſe de hac re Pring. V. Swiet. et Huxh.

rivationis et revulſionis doctrina, ſupprimit, ut e contrario ſuppreſſum, quoniam id extremorum vaſorum ſpaſmus facit, hoc ſoluto reſtituat; quae non aliter excretionem aut profuſionem, ſive rubram, ſive non, imminuit, quam tonum et ſanguinis impetum imminuendo. Qui ut hic quam maxime imminuatur, optandum eſt; quoque facto, ſalutare ſputum apparet. Et qui aliter eſſe poteſt? Vena in brachio aperta, quantum quantum ſanguinis ablatum eſt, ejus inter univerſas arteriolas extremas effectus diviſus, nullas in qualibet una parte multum tangere poteſt, niſi tantus forte eſt, ut totum corpus debilitet, et ſic excretiones pariter et ſecretiones omnes imminuat. Qui et rariſſimus eſt, et non in retrahendo ab extremis vaſis, quae revulſionis doctrina eſt, humore, ſed vaſorum tono frangendo, conſtat.

Detractionis quoque uſum ſuppuratio, ſed nullo die certo, nedum, ut antiquitus et nuper quoque * creditum eſt, quarto die, terminet. Signa enim ſuppurationis, pro prioris inflammationis magnitudine, citius aut ſerius, interdum quarto quidem, ſed et omnibus eum inter et ſeptimum, immo nonum, diebus, apparerent. Ideoque tamdiu ſcalpello utendum, eſt, et non tempore ſtatuto, ſed illorum ſymptomatum adventu, deſiſtendum.

Quod ſi vel in ſuppurationem vehementior juſto inflammatio tendit, et gangraenae periculum intentat, tum

* Huxham.

tum quoque, ſi judicio recte uti poteris, detractione opus erit.

Sanguinis etiam ex parte detractionem morbus ſibi duobus conſiliis vindicat; ſcilicet, ſi aut detractio, omnia vaſa ſanguifera afficiens, jam expoſita, aut frequentia aut copia nimia jam fuit, ſeu ad ipſam partem, unde ſanguis detrahatur, aditus eſt. In Rheumatiſmo, ubi jamdudum Sydenhamus largas e magno vaſe profuſiones, debilitando corpus, eidemque poſtea, aut aliis morbis opportunum reddendo, noxae eſſe reperit, poſt febrem communem et habitum inflammatorium jam ſolutum aut multum imminutum, quod occipientes tumeſcere partes ſignificant, ad locales detractiones decurrendum eſt. Eae maxime, ubi jam aliquo loco figi morbus incipit, et in longum verti rheumatiſmus periclitatur, reſpondent, et magnum dolorem ſaepe ſublevant. Item in inflammatione pulmonica, ubi e magno vaſe tantum ſanguinis jam detractum eſt, ut plus in periculum corpus adduceret, et ſymptomata tamen repetunt, cucurbitulae parti impoſitae, et hujus conciſio, auxilio * eſſe ſolent. Inflammatoque cerebro, e vena jugulari, quam brachiali, eodem conſilio ſanguis melius detrahitur †. In ophthalmia, quae plerumque minus in habitu inflammatorio conſiſtit, ita plerumque quoque e parte ipſa, aut juxta hanc, hirudinibus immiſſis, carnis conciſione, cucurbitulis impoſitis auferri

* Cleghorn. morbi Minorcenſes.

† Cul. prael. de uſu in phrenit.

ferri ſanguinem convenit. Ad ecchymoſin moleſtam, ex illarum in molli parte morſibus ſaepe orientem, vitandam, infra oculum hirudines non immittendae, et potius ſupra os malae ſummum, cyatho ſuperimpoſito, continendae videntur. Nec localis detractio, ſi quando eam requirit, non etiam cynanchae, praecipue ſtridulae, convenit; carditi et abdominis inflammationibus, ob earum diſtantem ſedem, minus.

Alvi purgatio, a capite et ſuperioris canalis alimentarii parte revellendo, ideoque adverſus phrenitidem, ophthalmiam, et anginam, uſui eſt. Quid in vicinis abdominis viſcerum inflammationibus, tot vaſa exhalantia et glandulas mucoſas, quae ſuos in inteſtina humores fundunt, aperiendo efficiat, pro certo nequeo dicere. Verum, cum in febribus, harum partium congeſtiones, atque etiam inflammationes, ſic tenſione imminuenda, ſublevet, ſimile hic quoque bonum praeſtare credenda eſt. In aliis caſibus, quia nunquam ſanguinis detractioni, haec ei nunquam non, ſuperſedet, inutilis; et in rheumatiſmo, ubi plures artus dolent, crebrarum dejectionum irritatione, etiam nocens erit. Ideoque hic, ut in febribus, alvus, niſi ut facilis ſervetur, non attingenda videtur.

Refrigerantia, quae memoravi, ſunt acida et ſales neutri; e quibus nitrum multum laudatur. Haec, tonum imminuendo et ſanguinem citatum retardando, adverſus omne inflammationis genus bona ſunt; in pulmonica affectione, ob tuſſim, quam ſaepe excitant, extimeſcenda. Hic, an ſimili poteſtate praedita ex-

trin-

trinſecus agant, quaeſtione dignum eſt. Antiquitus, et uno aut altero ſeculo abhinc, repellentia, ut dicebantur, adhiberi moris erat. Eorum multa adſtringentia erant. Quae, ut alias in inflammatione manifeſte nocent, ita, ubi haec a laxitate partis quadam, ut in ophthalmia, pendet, prodeſſe a nonnullis exiſtimantur. Quod non ita eſt. Nam neque tumorem imminuunt, neque, ſi imminuerent, ſanguinem tardant, neque ſpaſmum ullo modo reſolvunt. Quod ſi ſaccharum ſaturni, et forſitan alia adſtringentia ſalina, pro occaſione admota, item liquores ſpirituoſi, prodeſſe nuper reperta ſunt, ea virtus ſedanti eorum naturae tribuenda videtur. Haec, motrices vaſorum poteſtates afficiens, horum actionem imminuere, et ſic ſanguinem tardare, eo videntur, quod in antiquo eorum uſu toties gangraenam facere dicta ſunt; quod, niſi opere ſedante, tonum vaſorum delente, neutiquam efficere poterant. Eorundem uſum chirurgus Gallus Voilardus, duobus voluminibus editis, rebus pariter et rationibus falſis, damnavit. Cujus argumenta et concluſiones Whyttius Medicus Cheſtrenſis refutavit.

Secundi conſilii remedia ſunt, balneum et mollientia, item veſicatoria, tum antiſpaſmodica, poſtremo emetica.

Balnei et mollientium, rebus quibuſdam refertorum, uſus, in omnibus inflammationis externae caſibus, eryſipelate dempto, multum in plerorumque curationibus invaluit. Reſque additae reſolventia aut diſcutientia nominatae ſunt. Sola tamen aqua ſine rebus additis

omnem,

omnem, his tribui ſolitam, virtutem certe poſſidet*. Ea vel cuticulam, quae adeo arcte totum ſummum corpus et vaſa extrema amplectitur, laxando, eſt aliquid: Sed multo plus innumerorum nervorum, ſubter cutem diſperſorum, relaxatio eſt. Et licet, aut aquam calidam aut vapores abſorberi, et ſic altiores corporis receſſus penetrare, minus credam; tamen, quoniam quo magis relaxas, eo magis aliqua ex parte tonum imminuis, opus refrigeranti perſimile aſſequeris, et doloris aliorumque inflammationis ſymptomatum remiſſionem paris, ſic balneum et fomenta, ut remedium utile, adhibes. Quod in nullo caſu, quam in angina, clarius ſit; hinc, ut in aliis caſibus utilitas, in aliis non, oritur. Nam, licet, ut ſupra relatum eſt, adſtringentia, diſtenſilitatem partis, eoque humorum ruentium impetum et abundantiam, prohibendo, minus agant; tamen mollientia, partem diſtendendo, plus mali, quam, tonum imminuendo, boni ſaepe praeſtare periclitantur. Nec porro dubium eſt, quin caloris ipſius ſtimulus aliquando, ut, exempli gratia, in rheumatiſmo, humores rarefaciendo et vaſa diſtendendo, noxae ſit. In hoc caſu balneum et fomenta, maturius juſto adhibita, dolores, praecipuum morbi ſymptoma, augere, Vintringamius primus oſtendit†. Praeceptum igitur perpetuum, ni fallor, eſt, ut ea nunquam prius, quam ſpaſmus aliqua ex parte, idoneis humorum detractionibus, reſolutus eſt, quo facilius

* Cull. Prael. de curat. phlegm.

† Hoc centies ſe vidiſſe Cullenus teſtatur, Prael, de uſ. in Gen. Phleg.

cilius pars obſtructa humoribus, per ea magis affluentibus, cedat, adhibenda ſint.

Veſicatoria, quae, ſedente extrinſecus inflammatione, non imponuntur; in interiorum viſcerum inflammationibus, ut phrenitide, pleuritide, et peripneumonia, item gaſtritide et enteritide, ſummo uſui, item in angina, nec adverſus inflammationis proprium, ſed et purius nervoſum, ſpaſmum ut in ileo, qui utique tandem in veram inflammationem erumpere ſolet, eſſe reperta ſunt †. Eadem, licet ſtimuli aliquanto non careant, partis ſpaſmum tollendo, et humores eo, ubi imponuntur, revocando, praecipue agunt. Sic fixos loco dolores ſublevant, neque adverſus rheumaticos, praecipue quo fixi magis ii ſunt, aut, licet ea neuroſes, quam inflammationes, propius referat, arthritidis, inutilia ſunt. Quae, cum minus adverſus totius ſummi corporis, magiſque partis, ſpaſmum, valeant, ita, niſi habitu phlogiſtico et febre communi magna ex parte ſolutis, minus prodeſſe ſolent.

Ex antiſpaſmodicis, uno et in uno caſu excepto, nempe in rheumatiſmo, opio, nullum, extrinſecus agens, in hoc morbi genere reſpondet, nullum non contrarium eſt. Ubi vaſa medicamentis ſudorificis facile cedunt, eoque multum caloris, gravem ſemper ſtimulum, non requirunt, aliquando juvat ſudor, circumjecta corpori veſte, et calidis, ut ſero vinoſo, ſpiritu Mindereri, ſpiritque cornu cervini, potui datis, expreſſus,

† Vid. Joan. Pringel. et Cullen. l. ſaepe. rel,

ſus *, qui utique e contrario, habitum phlogiſticum accendendo, humores in partem obſtructam percitando, aut in interiora convertendo, non ſolum hunc morbum augere, ſed et alios, et praecipue phlegmaſias internas, creare periclitatur. Quod ad ſudorem ſponte naturae in hoc caſu incidentem attinet, hujuſmodi ſaepe quidem, ſed cum nullo fere dolorum levamine, contra, his exaſperatis, circa initia mali incidit, idque, licet ſumma cura eſſet adminiſtratus adjutuſque †. Sola igitur ars hic convenit, ſolumque opium utilem in rheumatiſmo ſudorem movere, nuper demum compertum eſt. Quod, licet ſtimulo ſuo cordis et arteriarum actionem excitet; tamen una cum eo vim ſedandi poſſidens, plus, extrema vaſa relaxando, boni, quam cor et arterias ſtimulando, mali praeſtat. Hinc cum minore corporis actionum commotione elicitur arte ſudor. Quem opii in hac re effectum ſal neuter emeticique tantum, quantum ſemper nauſeam moveat, aliquando ad vomitum aſſurgat, ei adjecta promovent. Hic quaeſtio oriri poteſt, quando novum hoc remedium in artuum inflammatione adhiberi conveniat? Ad imminuendum aliqua ex parte habitum phlogiſticum et febrem, ſanguis prius detrahendus videtur; ſed non, donec detractio eam prorſus ſucciderit, expectandum. Hujus enim remedii ea vis eſt, ut humor s vitalis nocens ſaepe diſpendium vitandi per id poteſtas detur.

AD-

* Joann. Clericus ſic ſuos rheumaticos curavit.

† Cul. prael. de uſ. in rheum.

ADMINISTRATIO SUDORIS

Primum, quantum opii dandum; dein, quo tempore, interdiu an noctu, ſudandum; tum, qualiter homo operiendus; poſtea, quae forma medicamenti, et an potio, qualiſque et quando indulgenda; poſtremo, quantum, quo modo, quamque diu, ſudandum ſit, exponit.

Tantum opii hic dari ſolet, quantum formidini, niſi expertis, eſſet. Ejus grana v. tuto data ſunt: Quae maxima utique menſura eſt, raroque permittenda. Contra, minima ſcrupulus, cujus duplum in pleriſque rebus convenit.

Poſt ſomnum matutinum protinus dandum medicamentum eſt, et ob has quidem rationes: Primum, quod, licet interdum noctu ſuccedat ſudor, tamen interrumpi magis et ſubſidere, quam interdiu, periclitatur; neque potui, quibus opus eſt, niſi pulſo ſomno, quod irritamento magno eſt, dari poſſunt; neque nutricum curae nocturnae, ſive ad potionem ſuppeditandam, ſive ad veſtem circa hominem, qui tum inquietior membra magis jactat, ſervandam, ac diurnae pariter, fidendum. Poſtremo, quoniam hic caſus ſaepe remittentis generis eſt, doloreſque, qui mane et poſt meridiem leniores ſaepe ſunt, ſub noctem recrudeſcere ſolent, neque tum calefaciendus homo eſt, cum exaſperatio febrilis eum exercet; ideo nihil utilius eſſe poteſt, quam ut maxima ſudoris pars ante nocturnam exaſperationem peragatur. Ut,

Qualiter homo operiendus ſit dicam; laneum induſium, quod magis madorem abſorbet, caletque magis, linteo quod minus illud facit, et a corpore forte aegrotantis rejectum, rurſuſque applicatum, frigore eum afficere periclitatur, anteponendum eſt.

Forma medicamenti ut dein exponatur; illud ſolidum et obvolutum, quo minus cum ori et faucibus ingratum ſit, nauſea, praecipue ad vomitum aſſurgens, prohibeatur, dandum eſt. Adverſuſque eundem, aliquamdiu poſt medicamentum datum, haud amplius liquoris, quam quod ſatis ſit ad illud defundendum, quia tepidus, qui ſolus hic convenit, hinc vomitum expedit, illinc ſudorem, cui aliquanto caloris opus eſt, compeſcit, hauriri oportebit; praeterque haec, nauſea, quae ad cutem humores optime propellit, et ſudori praecipue favet, non eſt remoranda. Ita in peſtis curatione, ubi ut minimum xxxvi. horas ſudatur, toto illo tempore, et in intermittentium febrium locorum meridionalium, ante ſudorem, potio non permittitur. Idcirco hic quoque ante nauſeae fere finem ſudoriſque, jam in fronte dimanantis initium, et toto corpore caloris aliquid perceptum, abſtinendum potione: Quae dein cum leni forſitan ſtimulo, ut vini paululi et ſpiritus cornu cervini, quae minus utique quam diluta potio placet, ſed ſaepius parcius, quam copioſe ſemel, indulgenda.

Quantum autem ſudandum ſit, ut paucis explicetur; cum nihil valeat, niſi toto corpore ad extremos artus * porrectus ſudor; ideo pedes veſte magis, quam reliqua corporis,

* Cull. loc. rel.

corporis, tegendi ſunt, lateresque calentes, et uteres calida aqua pleni, iiſdem apponendi.

Quodque ad reliquum ſudoris modum attinet; quo is minore cum calore, et alio ſtimulo febrem excitante, excitatur, eo utilior erit. Et ſi, ut aliquibus uſu venit, ſine magno veſtis pondere, et aliis caloris adjumentis nimiis, excitari non poteſt, magiſque ſi calor, ſitis, et ſiccitas perſtant, tum a ſudoris opere, ut non ſolum nihil profuturo, ſed contra plurimum obfuturo, deſiſtendum eſt, et aut aliud tempus expectandum, aut aliis remediis inſiſtendum. Poſtquam ſudor fluere coepit, pars veſtis, quo facilius ſudetur, detrahenda; aliquando, ubi moleſtia et anxietas magna eſt, alterutra ſubinde manus, quo ſpiraculo calidus vapor diſſipetur, et cervix denudanda, et tota veſtis laxius corpori apponenda eſt.

Temporis, quo ſudari debet, ſpatium minimum horarum XII eſt. Sic enim, ut omnis morbus febrilis, et inter reliquos rheumatiſmus, circuitus ſervat, et nunc exaſperatur, nunc remittit, et quotidie binas acceſſiones, alteram circa meridiem, ſub noctem alteram, habet; idcirco ad hujus, initio et frigori, quod acceſſionem fundamentum eſt, occurrendum, ſudor ab hora matutina non ſolum ad horam duodecimam nocturnam, quo tempore vigere adhuc acceſſio ſolet, ſed ad alteram aut tertiam matutinam ſervandus eſt. Et ſi, ſic continuato ſudore, ſymptomata non decedunt, cum in hujuſmodi caſu tertianae circuitus ſuſpicio eſt, quo ab omni parte abſolvatur curatio, etiam ad XLVIII praeteritam, ille

pro-

prorogandus videtur. Qua utique in curationibus cautione rarius opus eſt. Hoc vero perpetuum eſt, ut, ſi doſis medicamenti ea fuit, quae ultra horam XII ſuſtentare ſudorem nequeat, ſive ſymptomata, ſeu non, ſublata ſunt, maximeque, ſi mali ante pervicax natura curationis nondum abſolutae ſuſpicionem facit, in cubili alteras horas XII homo retineatur; ita tamen ut veſtis, dummodo ſicca ſatis et calida ſupponatur, mutatio concedenda ſit *. Alias exigua doſis veſpere iterum data convenit.

Emetica, quae adverſus juſtarum febrium ſpaſmum multum valent, adverſus ipſam hic inflammationem minus poſſunt. Sed, quoniam hic quoque partis affectio totius corporis pyrexiam, ideoque totius ſpaſmum, excitat, eaque inflammationis propria ſymptomata exaſperant, ita emetica, talem pyrexiam febremve et ſpaſmum febrilem ſolvendo, adverſus puriores quoque phlegmaſias auxilio eſſe poſſunt.

In hac tota doctrina maximum virum Cullenum, filum quaſi, quo per labyrinthon ducerer, praebentem, prae caeteris ſecutus ſum; ſed ita tamen, ut ex ordine ejus, mihi in genus redacto, duos caſus, cynanchen gangraenoſam et arthritidem, rejecerim. Cujus rei ratio, ut jam ante expoſita, hic repetenda non videtur. Quod ad totius operis rationem attinet, jam ſero video, id

* Haec Chalmeri medici Carolipolitani, et Culleni noſtri curatio eſt.

MED. CHIR. SOC.
ABERDEEN.

id multis ex partibus imperfectum parumque limatum eſſe; cujus rei excuſationem, in materiae amplitudine, temporis, quo haec tractanda erat, brevitate, et aliis, quae imponere academia ſolet, occupationibus, non in ingenii defectu, colloco. Quae enim arrogantia eſt, poſtulare, ut ingenioſus, quia, ſi Dis placet, tute ipſe id negas, habearis; aut, in pleriſque chartulis, quales juvenes, lauream medicam petentes, conficiunt, quo, quaeſo, omnino ingenio opus eſt.

FINIS.